

bulliant ad inspissationem & exiccationem, tunc lapides induratos in patella inuenies, quos vitro indes, & diligenter obturabis.

Aliud.

2. Calcis viuæ partes ii.

minii partem i.

puluerizentur simul, & cum sapone fullon.

q.s. misce, globulos efforma.

Eiusmodi sunt cauteria potentialia, quæ tamen non sunt antiquorum cauteria, sed ruptoria.

Usus multiplex, præcipuus tamen ad materias auertendas & euacuandas, & abscessus aperiendos. Materiam diuertimus à parte nobiliore ad ignobiliorum trahendo, quod fieri consuevit in diuturnis catari his à capite delabentibus, vel in oculos, aures, pulmones. Abscessus vero siue bubones etiam his aperiuntur, in iis, qui vel ignem vel ferrum metuunt. Quod si vero applicare velimus, primo totum corpus euacuandum, ne impetu humor in partem labatur, vel inflammatio excitetur. Secundo cauendum, ne parti nobiliori vel applicemus, ut si capiti, cauendum est ab omnibus futuris. Quinetiam cauere oportet à membro exquisito sensu prædicto.

Quod si vero diuersionis gratia applicentur, locus aptus eligendus. Et si à capite longius deriuare velimus, tibiæ eligendæ. Si magis propinque, brachia. Si propinquius, ipsam ceruicem. Hæc enim tria sunt loca, quibus communiter applicari consuevere.

Locus autem conueniens in ceruice quidem

T 2 est